

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De Principiis naturalibus corporum metallicorum secundum opinionem
antiquorum. Cap. XXV

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](#)

TER TIA P A R S.

De Principiis naturalibus corporum metallorum secundum opinionem antiquorum.

C A P. X X V.

Innuimus ergo tibi secundum opinionem antiquorum metallorum qui fuerunt de secta hanc artem imitantium, quod prima principia naturalia ex quibus metalla procreantur sunt spiritus foetens, id est, sulphur, & aqua viva, quam & sicciam aquam nominari concedimus. Spiritum autem foetentem divisimus. Est enim albus in occulto, & rubeus in manifesto, & niger. Uterque tamen in mysterio hujus operis tendit ad rubedinem. Dicemus igitur sermone brevi, & completo nec non manifesto, uniuscujusque horum principiorum naturam & generationem, & modum similiter generationis. Expedit igitur nos ampliare sermonem nostrum & dilatare: & singulum capitulum de singulo naturali principio tradere. In genere tamen dicimus, quod unumquodque istorum principiorum est fortissimae compositionis & uniformis substantiae ut narramus: & illud ideo, quoniam in eis minimae partes terrae taliter partibus aereis,

reis, aqueis & igneis sunt unitæ: ut nulla ipsarum alteram in resolutione possit dimittere: immo quælibet cum qualibet resolutur propter fortē unionem naturalem quam habuerunt ad invicem, ex nimia subtilitate partium per minima paulatim à calore naturali æqualiter in visceribus terræ condensato & digesto secundum debitum cursum naturæ, ad exigentiam illorum essentiæ. Et hoc secundum opinionem quorundam antiquorum philosophorum.

De principiis naturalibus secundum opinionem recentiorum.

C A P. XXVI.

A Lii vero moderniores aliter dixerunt quod illorum principiorum naturalium non fuit argentum vivum, nec sulphur in natura sua, sed alteratum & in terram naturam mutatum. Unde dixerunt, quod principium fuerit aliud quam spiritus fœtens & spiritus fugitus in natura sua. Et ratio qua moti fuerunt maxime, est hæc, quod non invenerunt in mineris argenteis, vel aliorum metallorum aliquid, quod sit argentum vivum in natura sua, nec aliquid quod sit sulphur: immo per se invenerunt unumquodque illorum separationem in propria sua minera, in sua natura & forza.